



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SS. Armogastus Et Satyrus. 29. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

204 VITÆ SANCTORUM. 29. Mart.
proximo spelæo successit, paulò post
viam eandem relegens ore denuò Regis
se abdidit. Subinde hic evigilat, & som-
nium de reperto thesauro narrat. Sed &
armiger subjicit, quæ vigilans somnia-
verat. Ergo in specum itur, & ingens
auri vis eruitur, sed omnis iterum cælo,
hoc est templis, & egenis transcribenda.
Quo factum, ut sicam eorum, qui parricidas
manus afferre regi vel epulo sacro
accumbenti, vel ad matutinas preces
eunti parabant, semper Nûmen excusse-
rit prodideritque. Tàm firma, ô Reges,
munimenta templa sunt, tam fidi, si
admittitis, corporum vestrorum custo-
des pauperum sunt cohors. *Ex Paul. Diac.*
& *Greg. Turon.*

*Usura mundi centum ad unum: Deus u-
num accipit ad centum: & tamen homines
cum Deo nolunt habere contractum. Sunt
forsan de cautione solliciti? Quare? homo
homini exigua chartulæ obligatione con-
stringitur? Deus tot & tantis volumini-
bus caret, & debitor non tenetur. S. Chryf.
serm. 25.*

SS. ARMOGASTUS ET SATYRUS.
29. Martij.

AMbos Geiserici Arriani Regis furor
afflixit, etsi SATYRUS régiæ do-
mûs Procurator, ARMOGASTUS Co-
mes esset. Et SATYRO quidem, ni ad
per-

29. *Mart.* VITÆ SANCTORUM. 205
perfidiam regis mores suos etiam ipse
componeret, ob oculos ponebantur offi-
cii, bonorum, & liberorum spoliatio-
nes, magna semper apud aulicos mo-
menta: ipsa adeo conjunx ultimæ fortis
homini, & qui camelos agebat, ad lu-
dibrium jam fuerat destinata. Sed facile
despicere hæc omnia poterat SATYRUS,
qui oculos cælo defixerat. Illa expugna-
re ferreum poterant animum: supplex
marito conjunx & juncta matrilibero-
rum cohors firmissima acies; structæ
deinde ante pedes infidiæ, infans, in-
quam, abjectus, minimus ille, sed ma-
ximus apud patrem orator; confusæ de-
nique omnium in unum lacrymæ gemit-
tusque, potentissima apud domesticos
tela. Perstitit tamen inconcussus SATY-
RUS, & objurgavit etiam intempestivam
suorum pietatem, & quæ impium in
DEUM esse juberet. Ita ab officio dejectus
omnibusque exutus in exilium nihil præ-
ter innocentiam extulit fidemque DEO
servatam. Jam ARMOGASTUS cum ner-
vis tibiæ & frons totquerentur, nervo
altero hos & fortiori (cruce) non semel
rupit. E pedibus suspensus dormire po-
terat videri. Ad sabulum eruendum dam-
natus virum in arenâ se præstitit. Bu-
bus pascendis præfectus dignum hunc
Martyre magistratum censuit esse. Mor-
tuus quoque tumulari, tamen non nisi
sub arbore voluit. Sed egesta sub hâc
hu-

206 VITÆ SANCTORUM. 29. Martij.
humus sarcophagum è marmore ostendit tam splendidum magnificumque, ut invidere tumulum pastori Reges potuerint. Ex *Vict. Uticen.*

Si paupertatem vix ferre possumus temporalem, in aeternum fieri mendicus quis durabit? Cur ergo Christianus, cui militare est id quod vivit seculo, non cogitat, ut pericula terrena otis celestibus consoletur?
S. Pet. Chryf. serm. 54.

S. EUSTASIUS ABB. 29. Martij.

Columbani discipulus fuit **EUSTASIUS**, ejusque in Luxoviensis Cœnobii præfecturâ successor. Pœnitentium dolori ita semper condoluit, ut prior ipse lacrimas daret, imò suis illorum proliceret lacrimas, optimam semper peccantibus medicinam. Et si igitur lacrimis oculos suos corrumpere videretur, geminis tamen virginibus restituit amissos. Has inter Burgundophora fuit Chagnerici viri nobilis filia, & Deo jam olim desponsa; quæ cum postea, parente auctore, hominis thalamum cogitaret, vindicavit febris cogitatum adulterium, &, ut patri dolerent oculi, filia suos eripuit. At **EUSTASIUS** primò patrem facinus suum videre, tum filiam etiam diem fecit. jam inter eos, qui principes facem Christianæ legis in Boicam intulerunt, numeres **EUSTASIUM**

S I U M